

cum conſequentia patet. Et minor eſt certa quia quod ex opere operato interpretatur velle, qui omittit actum iuſtitie, eſt oppoſitum malum in iuſtitie: vt qui omittit audire Sacrum in die feſto, interpretatur velle inhonorare diem feſtum, quod eſt obiectum oppoſitum religionis virtuti, & actus proprius poſitivus irreligionis.

63 Sed quia multoties accidit, quod contra eandem virtutem dentur plura peccata commiſſionis ſpecie diſtincta, immo quod eidem actui virtutis plura peccata commiſſionis opponantur, vt actui ſervandi rem alienam contrariatur duplex peccatum commiſſionis, nempe furtum, & rapina, adhuc videre reſtat, a quo motivo, ſeu obiecto dictorum peccatorum omiſſio ſuam ſumat ſpeciem: quia cum omiſſio vnam tantum habeat eſſentiam, non poteſt habere niſi vnum tantum motivum ſeu obiectum. ¶ Ad quod dicimus, quod quando in materia eiſdem virtutis dantur actus boni ſpecie diſtincti, & conſequenter plures omiſſiones ſpecie differentes, omiſſio non ſumit ſpeciem a quovis obiecto contrario virtuti, cuius actus omittitur, ſed ab obiecto actus, qui magis ſpecialiter contrariatur actui omiſſo: vt omiſſio ſolutionis decimarum non habet pro obiecto ſeu motivo quodlibet obiectum oppoſitum virtuti religionis, alias contra eam non darentur peccata omiſſionis ſpecie diverſa ſed habet pro obiecto obiectum actus auferendi eas: quia hic actus magis opponitur actui caſu ſolvendi.

64 Quando autem contra aliquem actum virtutis dantur plura peccata commiſſionis ſpecie diſtincta, omiſſio actus ſpeciem ſumit ab obiecto illius peccati commiſſionis, quod eſt minus grave, minusque diſtat ab actu omiſſo. Quia cum omiſſio actus boni non poſſit ſpecificari ab omnibus obiectis peccatorum commiſſionis, que tali actui contrariantur, ob rationem ſupra datam, ab eo ex omnibus ſpecificari debet, ad quod omittens magis accedit, & cum quo maiorem connexionem habet; quod abſtudio eſt illud obiectum, quod minus diſtat ab actu omiſſo, minoreque habet gravitatem. Exemplo rem declaramus: actui ſervandi, vel reſtituendi rem alienam opponitur duplex peccatum iniuſtitie, furtum ſcilicet, & rapina, ex quibus quod minus diſtat ab actu ſervandi rem alienam, minoreque gravitatem habet, & cum quo omiſſio ſervandi rem alienam habet maiorem connexionem, non eſt actus rapina, ſed furti: ideoque omiſſio ſervandi rem alienam non habet pro motivo, nec pertinet eſſentialiter ad ſpeciem rapina, ſed ad ſpeciem furti. Et de peccato commiſſionis, & omiſſionis hoc modo declaratis procedit tertia diſtinctio.

Prima aſſertio cum obiectionibus ſolutis.

65 Dicendum eſt primo, peccata commiſſionis diſtingui ſpecie moralitatis eſſentiali per ordinem ad obiecta; licet multoties diſtinguantur ſpecie accidentalit per ordinem ad rectitudinem, qua privant. Hæc ſecunda pars ex precedenti dependet, & ex ea evidenter colligitur: ſiquidem apud omnes eſt certum, quod ſi peccata deſumunt malitiam poſitivam per ordinem ad obiecta perſe primo inſpecta, diſtinctio hæc debet eſſe omnino primaria, & eſſentialis; & alia quacumque eſt ſecundaria, indirecta ſeu accidentalit, quamvis diſtinctio de ſumpta ex forma, qua privant, arguat diſtinctionem eſſentialem: quia ubi ſunt privationes ſpecie diverſe, necesse eſt inveniri diverſa obiecta formalia directe oppoſita motivis, & obiectis virtutum. An vero, quoties dantur diverſa obiecta, & peccata, dentur ſemper diverſe privationes, itant diſtinctio, ſeu identitas privationum ſit adæquatum ſignum diſtinctionis, ſeu identitatis inter peccata? ſub lite eſt inter Authores. Caictano negante, qui exiſtimat, poſſe vnam, & eadem ſecundum ſpeciem privationem reperiri in peccatis ſpecie diverſis. In cuius ſententiam magis inclinat N. Salmant. in hoc tract. diſp. 6. num. 11. ¶ Godoy vero diſp. 25. num. 55. affirmat, propter eſſentialem ordinem quem dicunt ad tendentias poſitivas: ad eum modum quo peccata habitantia, propter ſimilem ordinem quem dicunt ad peccata actualia, diſtinguntur ſpecie, eſt conſiſtant in privatione eiſdem gratia. Sed quidquid circa hoc eligatur, ſemper manet inconcuſa noſtra aſſertio propter proximè dicta.

66 Quoad primam, & præcipuam partem, probatur ratione D. Thomæ, ad quem omnes alia poſſunt reduci. Pro quo nota, quod licet D. Thomas in art. 1. quæſt. 72. ſupra cit. tantum probet, ſeu ſuſcipiat, peccata ſecundum quod ſunt actus voluntarij, quo pacto pertinent ad genus phyſicum, diſtingui ſecundum obiecta, intentum tamen illius eſt agere de illis formaliter vt peccata ſunt, & prout ad genus moris pertinent.

Et hinc deſumitur ratio ſatis efficax pro noſtra aſſertione: Nam actus voluntarij ſecundum ſe, & prout ſpectant ad genus phyſicum, ſumunt ſuam ſpeciem, & diſtinctionem eſſentialem per ordinem ad obiecta conſiderata in eſſe phyſico: ergo iſdem actus, vt pertinent ad genus moris, ſumunt ſuam ſpeciem, & diſtinctionem eſſentialem per ordinem ad obiecta conſiderata in eſſe morali. Conſequentia, in qua tantum eſt difficultas, probatur: nam ideo antecedens eſt verum, quia ſpecies, & pariter diſtinctio

etio debet deſumi ſeu attendi ſecundum id, quod eſt perſe: ſed hoc maxime urget in peccato commiſſionis, & eius obiecto comparativè ad privationem: ſiquidem hæc per accidens ſe habet ad peccatum, cum lit præter intentionem peccantis: ergo ſi peccata, prout ſunt actus voluntarij, & pertinet ad genus phyſicum, ſpecificantur, & diſtinguntur per obiecta ſumpta in eſſe phyſico, etiam peccata formaliter vt talia debent ſpecificari, & diſtingui per obiecta ſumpta in eſſe morali. Reſolvitur dicta tract. 10. diſp. 1. dub. 2. pro ſpecificativo moralitatis in communi. Quæ ratio etiam poteſt applicari peccatis omiſſionis, ſi purè moraliter ſumantur. Iuxta notata num. 61. & 62.

67 Reſpondet Scotus, & quicumque non agnoſcit in peccato commiſſionis malitiam aliquam poſitivam, quod licet privatio ſe habeat præaccidens ad intentionem peccantis, non verò ad peccatum ipſum: quia, illa non ſtante, dat ſpeciem, aut quaſi ſpeciem peccato, ideoque comparatur perſe ad peccatum formaliter vt peccatum. ¶ Sed hæc evaſio tangit graviffimam difficultatem huius tractatus circa conſtitutum peccati commiſſionis, ex cuius reſolutione evidenter fiet prædicta ratio, & aſſertio, & in cuius ſuppoſitione procedit.

68 Nihilominus arguitur primo: Nam obiectum peccati non intenditur perſe primo à peccante, prout eſt malum in eſſe moris, ſed tantum prout eſt bonum in eſſe phyſico; ſed prout eſt bonum in eſſe phyſico, non dat peccato ſpeciem moralem, ſed tantum ſpeciem phyſicam: ergo ex ratione D. Thomæ nullo modo poteſt colligi, quod peccata ſpecificantur, & diſtinguntur per obiecta. Minor cum conſequentia conſtat. Et maior aperte deducitur ex illo Div. Dionyſ. 4. De Divin. nomin. ubi ait, quod nemo intendens ad malum operatur. Idem ex illo docet D. Thom. in præſalijſque in locis.

Nec reſert, ſi dicas cum Godoy diſp. 26. num. 14. quod licet malum ſub ratione mali non poſſit perſe intendi, nec tranſfundere in actum malitiam, bene verò ſub apparentia boni. Quam ſolutionem illuſtrat ex Div. Thom. ſup. quæſt. 18. art. 4. ad 1. & quæſt. 19. art. 1. ad 1. ubi ait: Quod voluntas non ſemper eſt veri boni, ſed quandoque eſt apparentis boni, quod quidem habet aliquam rationem boni, non tamen ſimpliciter convenientis ad appetitum: & propterea actus voluntatis non eſt bonus ſemper, ſed aliquando malus. ¶ Non, inquam, reſert: Nam malum morale vel intenditur perſe ſub apparentia boni phyſici, vel ſub apparentia boni moraliſ: ſed neutro modo poteſt perſe reſpondere in actum malitiam moralem: ergo non reſpondit malitiam, prout intenditur perſe. Minor quoad ſecundam partem conſtat. Quoad primam verò probatur: nam ſub apparentia boni phyſici ſolum ſpecificat, & perſe primo terminat actum ſumptum

ſecundum ſuum eſſe phyſicum: ergo ſub apparentia boni phyſici nullo modo intenditur perſe. ¶ Et confirmatur: Nam malicia actus ita eſt mala, quod non fit apparenter bona: ergo idem de eius obiecto dicendum eſt. Adde: Quia obiectum malum non ſolum terminat actum malum, prout eſt apparenter bonum, ſed etiam prout reduplicative eſt malum: ergo ſub hæc expreſſione vltima potius, quam ſub priori reſpondit malitiam in actum.

Nec prodeſt Godoy recurſus ad ipſum obiectum motive, & terminative conſideratum, quatenus dicit, quod ſolum movet ſub apparentia boni phyſici, ſed voluntas à bonitate phyſica mota terminatur ſecundario ad deformitatem obiecti ſub ratione talis. ¶ Non inquam, prodeſt: Nam vel terminatur ad deformitatem vt talem, volendo illam vt quod; vel per quadam extenſionem ſecundariam, qua non ſit formaliter de genere volitionis? Si dicat hoc vltimum: ergo non eſt necesse, quod attingat illam ſub apparentia boni, aliàs etiam moveret. Si dicat primum: ergo etiam ipſa deformitas ſub apparentia boni movet, cum voluntas alliciatur ab eam quo conſiſtit motio obiecti relatè ad voluntatem.

69 Miſſa ergo hæc ſolutione: Reſponderetur ex præclara doctrina NN. Salm. tract. 11. diſp. 1. a num. 47. quod in volitione eſt duplex tendentia ad obiectum peccaminofum: alia de lineæ volitionis, qua eſt phyſica, & terminatur ad obiectum vel ſub vera, vel ſub apparenti ratione boni, eſtque primaria. Sed qua non terminatur ad illud, niſi prout ſtat ſub diſſonantia cum lege, & connotando prædictam diſſonantiam; inde reſultat alia terminatio ſecundaria (directa tamen) ad ipſam diſſonantiam obiectivam, qua non reſpicit obiectum vt volibile ſaltem vt quod; ſed vt ſubiectum regulis morum. ¶ Unde dum D. Dionyſ. & D. Thomas aiunt, quod nemo intendens ad malum operatur, debent intelligi de intentione de genere volitionis, ſeu de terminatione primaria volitionis. Cum quo rectè coheret, quod habet aliquam terminationem directam (eſſi ſecundariam) ad obiectum vt rationi diſſonum: & hæc terminatio, ſeu tendentia ſe habet perſe relatè ad formam, qua privat. Sed de hoc iterum redibit fermo, dum agamus de peccato commiſſionis.

70 Arguitur ſecundo: Iuxta D. Thom. in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 3. circumſtantia non ſolum dat ſpeciem, quando eſt perſe intenta, ſed etiam quando non eſt perſe intenta, vt in eo, qui furatur vas ſacratum. ¶ Confirmatur primo: Nam qui ex ignorantia vincibili occidit hominem putans eſſe cervum, habet ſpeciem homicidij; & tamen non eſt perſe intenta, ſed potius eſt præter intentionem: ergo idem quod prius. ¶ Confirmatur ſecundo: Quia hoc eſt ſpecialitè in aliquibus peccatis: v. g. inobedientia, & ſcandali, quod eorum malitia

obiectiva sit perse intenta, ad hoc vt tribuat suam speciem: ergo generaliter non est verum, quod species peccati desumitur ab obiecto perse intento.

Ad argumentum respondetur, intentum D. Thomæ tantum esse, quod ad speciem accidentalem, qualis est ea, quæ procedit à circumstantia, non requiritur, quod sit perse voluta, quod est verissimum. Sed aliter discurrendum est de eo, quod dat peccato primam, & essentialem speciem peccati: & hoc modo est obiectum, dum ex se est consonum rationi. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, doctrinam D. Thomæ tantum habere locum in his, quæ perse sunt peccata: homicidium refutans ex ignorantia vincibili non est perse peccatum, sed tantum per accidens. Unde non est mirum, quod obiectum illius non intendatur perse. ¶ Ad secundam respondetur, ad differentiam peccatorum illorum ab alijs satis esse, quod nequeunt habere propriam speciem sive essentialem, sive accidentalem, nisi directè intenduntur à peccante.

§. III.

Confectaria precedentis doctrinæ.

71 **E**X dictis inferitur primò, divisionem peccati in carnale, & spirituale, de qua agit D. Thom. in quest. 72. art. 2. esse essentialem, eiusque distinctionem desumi per ordinem ad diversa obiecta. ¶ Pro quo sciendum est, peccata non dici *spiritualia* præcise ex eo, quod in actu spirituali consistant, sicut nec *carnalia* ex eo quod actum corporeum importent: nam peccata carnalia semper dicuntur actus intellectus, & voluntatis, qui sunt spirituales: & ira, & avaritia, quæ apud D. Thomam sunt peccata spiritualia, dicuntur multoties actum corporealem. Peccata ergo *spiritualia* dicuntur, quæ complentur, & consummantur in delectatione spirituali, seu animali, seu in delectatione sequuta ex interna apprehensione, sive delectatio sit animalis, sive spiritualis: quia sicut apprehensio, ex qua sequitur, habet elevationem supra materiam, ita ipsa delectatio: & hac ratione peccata, quæ in ea petunt consummari, dicuntur *spiritualia*. E converso peccata dicuntur *carnalia*, quæ consummantur in delectatione præcise tactus, & gustus: ad differentiam aliorum sensuum, ex quorum actibus est delectationes percipiuntur, non queruntur propter se, sed propter cognitionem; ac delectatio gustus, & tactus queritur propter se. Idcirco D. Gregor. relatus à D. Thoma in præfenti, ait, quod ex septem vitijs capitalibus quinque sunt spiritualia, & alia duo, nempe gula, & luxuria, carnalia.

Ex his constat, prædictam divisionem esse essentialem comparativè ad radicem, & causam delectationis, desumique ex diversitate obiecto-

rum. Siquidem peccata, quæ petunt consummari in delectatione carnali, nequeunt non habere obiecta formaliter diversa ab ijs, quæ petunt consummari in delectatione spirituali: & ita ex vitijs capitalibus spiritualibus nullum est, quod non habeat obiectum diversum à duobus carnalibus proximè enumeratis.

72 Nec obest, si dicas contra hoc cum Godoy loco supra relato num. 21. cui non placet noster modus dicendi, quod demon suadens homini adulterium solum habet peccatum spirituale; & tamen habet idem obiectum, ac desiderium hominis: ergo vel non distinguuntur specie peccata carnalia, & spiritualia; vel non distinguuntur ex obiectis. ¶ Non, inquam, obest: Nam sicut consilium, quo quis adulterium suadet, reduci- tur ad peccatum carnale, quia initiativè pertinet ad illud: ita suasio demonis ad adulterium pertinet ad peccatum carnale initiativè, quamvis ab Angelo non possit consummari.

73 Inferitur secundò, peccata non distinguuntur specie ex diversis causis activis, & motivis, sed solum ex diversis causis finalibus. Ita D. Thom. art. 3. quest. citata. Pro quo advertit, causam motivam non sumi hic à D. Thoma pro causa finali, sed tantum pro causa efficiendi. In qua suppositione probatur quoad utramque partem: nam finis est proprium obiectum voluntatis; sed actus voluntatis non specificatur à voluntate, sed à suo obiecto, vt diximus tract. de Bonit. & malit. disp. 1. dub. 2. ergo peccata non distinguuntur ex diversitate præcise principiorum, sed ex diversitate finium, seu obiectorum.

74 Inferitur tertio, divisionem peccati in peccatum in Deum, in proximum, & in seipsum esse essentialem. Ita D. Thom. art. 4. quest. citata. Pro quo nota, peccata in Deum illa speciali ratione dici, quæ opponuntur directè virtutibus, quæ habent pro obiecto quod, vel cui Deum, vt virtutes Theologicæ, & religio: peccata in proximum ea appellari, quæ opponuntur virtutibus, quibus homo ordinatè se habet ad proximum, vt iustitia, pietas, & alia huiusmodi: & peccata in seipsum ea esse, quæ opponuntur virtutibus, quibus homo ordinatè se habet ad se, vt temperantia, fortitudo &c. Et cum nullum sit peccatum, quod non contineatur sub aliquo ex prædictis membris, planè sequitur, divisionem prædictam esse adæquatam.

Hinc probatur confectarium ratione. Nam peccata habentia diversa specie obiecta, distinguuntur essentialiter; sed prædicta peccata habent obiecta formaliter diversa: ergo divisio illa est essentialis. Minor probatur: nam talia sunt obiecta eorum, qualia sunt obiecta virtutum, quibus contrariantur; sed virtutes, quibus homo ordinatè se habet ad Deum, ad proximum, & ad seipsum, habent obiecta formaliter diversa, alias non distinguerentur specie: ergo prædicta peccata habent obiecta formaliter diversa.

In-

§. IV.

Secunda assertio.

75 Inferitur quartò, peccata non distinguuntur specie per reatus ad diversas penas, v. g. ad penam temporalem, & æternam. Ita D. Thom. art. 5. quest. citata. Et ratio est: quia reatus ad penam est quid consequens ad essentiam peccati: ergo peccata non distinguuntur specie per reatus ad diversas penas. ¶ Sed hinc oritur dubium, & non parvi momenti, inter Scholasticos: an peccatum veniale, & mortale circa eandem materiam, v. g. furtum leve, & furtum grave, distinguuntur specie? Proindeque an reatus ad penam temporalem, & æternam sint signum distinctionis essentialis in peccatis? Sed hæc difficultas commodè tractanda est disp. seq.

76 Inferitur quintò, peccatum cordis, oris, & operis non distinguuntur specie, sed tantum secundum diversos gradus eiusdem peccati incipientis in corde, progredientis in ore, & silentis in operatione. Ita Div. Thom. art. 7. præcitata quest. ¶ Pro quo nota, peccata esse in triplici differentia: alia enim sunt, quæ complentur in corde, vt odium, infidelitas, & similia. Alia quæ complentur in ore, vt murmuratio, contumelia, & detractio. Alia quæ consummantur in opere, vt homicidium, furtum, adulterium. Igitur Div. Thom. non loquitur de his peccatis prædicto modo explicatis: quia apud omnes certum est, divisionem peccati proximè explicatam esse essentialem, innidè adæquatam, non ratione subiectorum, cordis scilicet, oris, & operis, sed ratione diversorum obiectorum, vt ea recolenti constabit. Sermo ergo est de peccato, quod consummatur in opere, incipit in corde, & progreditur in ore, vt adulterium. Et ratio D. Thomæ est: quia procedunt ex eodem motivo: adulter enim ex eodem motivo concipit, & vult adulterium in corde, ad verba amatoria procedit, & opere consummat; sed peccata, quæ habent idem obiectum, seu ex eodem motivo procedunt, non distinguuntur specie: ergo prædicta divisio non est essentialis, sed tantum secundum diversos gradus eiusdem peccati, & forè numerici, vt si non deat interruptio moralis. Nec in his immoramur, quia plana sunt.

77 Inferitur sextò, peccata differri specie penes superabundantiam, & defectum. Ita Div. Thom. art. 8. eiusdem quest. sæpè citata. Ratio illius est: quia habent diversa motiva intrinseca: cum intemperantia procedat ex nimio amore delectationum carnalium; & insensibilitas, quæ est vitium oppositum temperantia, ex nimio odio earum procedat: ergo distinguuntur specie.

78 Tandem inferitur, quod corruptio circumstantiarum, quæ habent idem motivum, non distinguuntur specie peccata, bene verò si habent diversa motiva. Ita D. Thom. art. 9. dicta questio- nis: & colligitur satis ex hacque dictis in hoc dubio. Pro quo recolenda sunt, quæ diximus tract. de Bonit. & malit. disp. 2.

dub. 1.

79 **D**icendum est secundò, solam divinitatem præceptorum ex parte principij non diversificare specie peccata, nec multiplicare malitias. Ita D. Thom. art. 6. supra dictæ quest. ad 2. vbi concludit: *Unde secundum diversa præcepta legis non diversificantur peccata*. Et probatur eius ratione ibi tacta: nam distinctio specifica peccatorum non attenditur ex parte averfionis, sed ex parte conversionis ad obiectum; sed peccata non respiciunt præcepta ex parte conversionis, sed ex parte averfionis: ergo distinctio specifica peccatorum non desumitur ex sola præceptorum distinctione. Maior, si vera sunt huiusque dicta, patet. Et minor probatur: nam peccans non convertitur ad præceptum, sed potius ab eo avertitur: convertitur enim ad obiectum vt consonum rationi, & ab ea prohibito, hocque appetit, & non ipsam legem: ergo peccata non respiciunt præcepta ratione conversionis, sed ratione averfionis.

Explicatur: Nam idem est distinctivum ac specificativum; sed species peccati non desumitur à lege: ergo nec ex sola distinctione legum sumitur distinctio specifica peccatorum. Minor probatur: quia species peccati non desumitur à termino à quo, sed ex termino ad quem, seu obiecto; sed præceptum non se tenet ex parte termini ad quem, sed ex parte termini à quo: ergo species peccati non desumitur à lege. Maior liquet ex dictis tum in hoc dubio, tum in tract. de Bonit. & malit. dub. 2. Minor verò probatur: nam terminus à quo est ille, à quo peccans avertitur, & terminus ad quem est ille, ad quem convertitur, & quem appetit; sed peccans avertitur à præcepto, cum illud non appetat, sed potius respicit propter delectabile bonum, à quo allicitur: ergo non se tenet ex parte termini ad quem, sed ex parte termini à quo.

Illustratur hæc ratio ex motu physico: Hic namque nec specificatur, nec distinguitur specie ex termino à quo, sed tantum ex termino ad quem: ergo nec motus moralis specificatur, aut distinguitur ex termino à quo, sed tantum ex termino ad quem. Antecedens supponitur, & expressè agitur à N. Complut. abbrev. in lib. Physic. disp. 22. quest. 2. Consequentia à paritate conitat. Iam sic; præceptum respectu peccati potius se tenet ex parte termini à quo, quam ex parte termini ad quem: ergo.

80 Huic rationi potest responderi primò, quod terminus, ad quem homo convertitur, est obiectum prohibito, proindeque præceptum ex parte illius se tenet: & hac ratione distinctio peccatorum potest ex diversitate præceptorum desumi. ¶ Secundò potest responderi, quod pec-

ca.

catum non solum ex suo conceptu formali est conversio ad obiectum, sed etiam est positiva conversio averfiva, proindeque potest à præceptis specificari, & distingui. ¶ Tercio potest dici, quòd saltem ex parte malitiæ privativæ peccata ex præceptis possunt specie distingui: distinctio autem specifica privationum arguit distinctionem specificam absolutam in illis, ut supra num. 65. diximus. ¶ Quarto, & ultimo responderi potest, quòd licet præceptum non se teneat ex parte termini ad quem, sed præcisè ex parte termini à quo, potest refundere suo modo peccato speciem, & distinctionem specificam: Quia plerumque accidit, quòd terminus ad quem sit idem in esse entis, & ex connotatione diversi termini à quo sit formaliter diversus, & refundat distinctionem specificam in motibus. Ex qua doctrina colligitur N. Complut. abbrev. loco proxime citato, plures motus physicos specie distingui, estò habeant eundem terminum ad quem. Et ex eadem doctrina moti N. Salmant. tract. de Iustificat. disp. 4. dub. 1. §. 2. defendunt, iustificationem Angeli, & impij esse specie diversas.

81 Sed nulla ex his evasionibus evacuant vim supradictæ rationis. Non prima: Nam peccans, quamvis tendat ab obiectum prohibitum, non tamen convertitur ad prohibitionem, nec appetit illam, sed avertitur ab ea, quatenus convertitur ab obiectum oppositum prohibitioni: ergo hac ratione nequit peccatum sumere suam speciem, aut distinctionem à præcepto. Nec secunda: Nam averfio positiva, quæ coincidit cum conversione, & tantum comparatur ad ipsam tanquam ad suam expressionem primariam, adhuc non specificatur à termino à quo, seu præcepto: ergo ex hoc capite inepte deducitur diversitas specifica peccatorum ex diversitate præceptorum. Antecedens probatur: nam hæc averfio positiva valde diversa est ab averfione formali, seu privativa; sed diversitas hæc non aliunde potest desumi, nisi quia averfio privativa specificatur, & distinguitur à termino à quo, & averfio positiva à termino ad quem, ut est oppositum termino à quo: ut liquet in motu adhuc secundum tendentiam positivam ad terminum ad quem, qui secundum talem respectum etiam virtualiter saltem dicit averfionem positivam à termino à quo, quin ab eo specificetur: ergo averfio positiva non specificatur adhuc sub hac expressione à termino à quo.

82 Nec tertia: Nam peccatum adhuc secundum malitiam privativam non specificatur à lege: ergo peccata adhuc secundum malitias privativas non distinguuntur specie ex diversitate præceptorum. Antecedens probatur: quia peccatum secundum malitiam privativam specificatur à forma, qua persè primò privat; sed persè primò privat vel rectitudine actus boni oppositi, vel actu bono præcepto; nec in eo

datur alia privatio, sicut nec lex præcipit aliam rectitudinem, in qua implicite contineatur conformitas, aut difformitas cum lege: ergo peccatum adhuc secundum malitiam privativam non specificatur à lege.

Nec quarta: Nam propter eam in aliquibus motibus physicis, & in iustificatione impij termini à quibus saltem connotativè conducunt ad distinctionem illorum specificam, quia intenditur persè ab eis transitus per diversa media, seu aliquis effectus specialis præstitus à termino ad quem in ordine ad terminum à quo; sed nihil horum, aut aliud simile intenditur persè ex diversitate præceptorum, in suppositione quòd terminentur ad idem motivum, ut ex se liquet: ergo terminus ad quem peccatorum, prout fiat sub diversis prohibitionibus, non constituitur in ratione termini formaliter diversi.

Roboratur hoc: Nam eo pacto se habet lex per modum termini à quo relatè ad actum malum, quo se habet per modum termini ad quem relatè ad actum bonum: quia sicut per peccatum avertitur à lege, ita per actum bonum convertitur ad eam; sed diversitas legum præcipientium eundem actum bonum, & secundum idem motivum non conducit ad distinctionem specificam bonitatis moralis; aliàs idem actus iustitiæ redens vnicuique quòd suum est, ex hoc præcisè capite haberet multiplicem speciem moralitatis, quod nullus hucusque dixit: ergo nec diversitas legum ex hoc præcisè capite per modum termini à quo satis est ad dandam distinctionem specificam peccatorum.

§. V.

Tertia assertio.

83 **D**icendum est tertio, peccatum omissionis, & commissionis, quòties procedunt ex eodem motivo, non pertinere ad diversas species malitiæ in esse purè morali, sed pertinere ad eandem speciem, in eo sensu quo actus, qui est causa omittendi ut talis, & omisio dicuntur ad eandem speciem pertinere. Hanc assertionem expressè docet D. Thom. loco relato num. 79. ad 2. ubi ait: *Et sic præcepta affirmativa, & negativa non pertinent ad diversas virtutes, sed ad diversos gradus eiusdem virtutis, & per consequens non oportet, quòd contrariantur diversis peccatis secundum speciem.* Et in argum. *Sed contra sic ait: In eadem specie peccati invenitur omisio, & commissio; avarus enim & aliena rapit, quòd est peccatum commissivum, & sua non dat quibus dare debet (intellige titulo iustitiæ) quòd est peccatum omissionis: ergo omisio, & commissio non differunt specie.*

Sed in corpore articuli tradit rationem, quæ

potest reduci ad hanc formam: Species peccati sumitur per ordinem ad obiectum, seu motivum intrinsecum: ergo peccata, quæ in obiecto aliquo modo conveniunt, debent etiam aliquo modo convenire in specie: ergo quando omisio, & commissio conveniunt in obiecto, seu versantur circa idem motivum, debent etiam aliquo modo in specie convenire; sed hæc convenientia non potest esse metaphysica, aut logica: ergo debet esse moralis: ergo dum procedunt ex eodem motivo, non distinguuntur specie pure morali.

84 Testimonio D. Thomæ respondet primò Vazquez, S. Doctorem loqui de omissione sequata ad commissioem, non autem de commissione, & omissione rigorosa. ¶ Secundo respondent alij, D. Thomam loqui de peccato commissionis, quòd est causa omittendi, & de ipsa omissione; non verò de omissione rigorosa, & omissione directa. ¶ Tertio dicunt Corneo, & Zúnel, sermonem ibi esse de specie accidentaliter desumpta ex fine, & motivo operantis; non autem de specie essentialiter desumpta ex motivo operis. ¶ Quarto respondent alij apud Vazquez, D. Thomam tantum asserere, quòd non differant specie. Et hoc verum est: quia non est inter speciem & speciem, cum omisio species non sit. Cum quo rectè cohæret, quòd non conveniant in specie morali.

Rationi respondent, quòd licet peccatum commissionis, & omissionis respiciant idem motivum; respiciant tamen diverso modo: peccatum namque commissionis respicit illud directè, & peccatum omissionis indirectè: peccatum commissionis illud respicit formaliter, & peccatum omissionis tantum interpretativè. Qui diversi modi respiciendi nequeant non refundere in ipsa peccata distinctionem specificam.

85 Sed nulla ex prædictis interpretationibus est iuxta mentem D. Thomæ. Non prima, nec secunda: siquidem D. Thomas loquitur de commissione, & omissione propriè, & rigorosè acceptis: Tum quia loquitur de eis prout oppositis præceptis diversis affirmativo, & negativo. Tum quia vtrius exemplis, quæ talia sunt rigorosè, ut non dare, quando quis dare tenetur, & aliena rapere ex motivo avaritiæ; sed omisio sequata ad peccatum commissionis opponitur eidem præcepto, ac ipsa commissio, licet secundum diversas virtualitates præcepti; & actus qui est causa omittendi, opponitur etiam præcepto directè opposito omissioni: ergo D. Thomas nec loquitur de omissione sequata ad commissioem, nec de commissione quæ est causa omittendi.

Nec tertia. Tum quia D. Thomas non plenè satisfeceret quæsitio: cum ea, quæ ex fine seu motivo intrinsecò differant, differre absolutè dicantur (sicut homo albus, & equus albus) quamvis in specie accidentaliter conveniant. Tum

Tom. III. Pass. Theol. Salm.

etiam: Quia eadem ratio militat de commissione, & omissione relatè ad idem motivum extrinsecum, seu operantis, ac de illis relatè ad idem motivum operis, ut cuilibet perspicenti constabit. ¶ Nec quarta, & vitiosa. Tum quia licet omisio non constituat speciem rigorosam in linea physica, seu logica, constituit tamen illam in linea purè morali: & hac ratione communiter asseritur, quòd actus, qui est causa omittendi, & ipsa omisio sunt rigorosè eiusdem speciei in esse morali: & etiam duæ omissiones oppositæ eidem motivo virtutis. Tum etiam: Nam eo modo docet D. Thomas, commissioem, & omissionem, quæ procedunt ex eodem motivo, specie convenire in esse purè morali, quo docet, vel supponit distingui, quæ procedunt ex diversis motivis; sed hæc rigorosè distinguuntur specie in esse morali: ergo ille rigorosè conveniunt specie in esse morali.

86 Deinde restituitur evasio adhibita rationi. Primo: quia malitia privativa, quæ est in peccato commissionis, & malitia eius positiva respiciunt idem obiectum diverso modo; & tamen hæc diversitas est merè materialis, & in sufficientibus ad refundendam speciem diversam in esse morali: ergo ex eo quòd omisio, & commissio tendant diverso modo in idem obiectum, seu motivum, non sequitur esse diversæ speciei in esse morali. ¶ Secundo: Nam actus, qui est causa omittendi, & ipsa omisio tendunt in idem motivum diverso modo; & nihilominus non distinguuntur specie in esse morali: ergo idem quòd prius. ¶ Tertio: Celebrare cum vestibus indebitis, & sine vestibus debitis diverso modo procedunt penes affirmativum, & negativum; & tamen sunt eiusdem speciei, ut fatetur Vazquez nobis contrarius: ergo. Item: Fractio voti per omissionem, & per commissioem, ut si vnus voveret ingredi in domum honestæ feminae ob finem honestum; & alius voveret non ingredi ob vitandum periculum, ad idem motivum tendunt ex parte religionis, sed diverso modo, & apud omnes Theologos sunt peccata eiusdem speciei. ¶ Nec proficit dicere cum Vazquez, quòd sunt peccata commissionis. Tum quia totam vim ponimus in eo, quòd tendant diverso modo. Tum quia saltem in secundo exemplo verè datur peccatum omissionis.

87 Quarto, & vitiosò: Nam facere malum, & omittere bonum necessariò respiciunt obiectum diverso modo; & tamen quando respiciunt idem motivum formaliter, sunt eiusdem speciei in esse morali: ergo licet omisio, & commissio respiciant diverso modo suum obiectum, non debent distingui specie morali ex hoc præcisè capite. Minor probatur: nam omittere malum, & facere bonum non constitunt diversas species moralitatis, sed sunt partes integrantes eiusdem iustitiæ, iuxta illud psalm. 33. „Diverte à malo, & fac bonum, Quorum

utrumque (ait D. Thom. 2. 2. quæst. 79. art. 1.) requiritur ad perfectum actum iustitiae: ergo etiam facere malum, & omittere bonum circa eandem materiam sunt eiusdem speciei moralis. Quocirca sicut partes integrantes eandem domum, vt tales, pertinent ad eandem speciem artefacti, & partes integrantes penitentiam, vt tales, pertinent ad eandem speciem Sacramenti, licet inter se metaphysice distinguantur specie: ita omittere malum, & facere bonum, & omittere bonum, & facere malum circa eandem materiam, debent esse moraliter, hoc est appetitively, eiusdem speciei, & per modum partium integralium illius. Inter quas partes pars principalis, & quasi formalis & completiva est commissio, sive de genere boni, sive de genere mali; & pars minus principalis, & quasi materialis est omisio. Pro quo videatur D. Thomas loco proxime relato.

§. VI.

Argumenta contra secundam, & tertiam assertionem.

88 **A**dversus secundam assertionem arguitur primo: De ratione peccati est opponi legi: ergo, stante diversitate legum necessitudo debet stare diversitas peccatorum, si sint contra eas. Probatur consequentia: tum quia vni vnum tantum est contrarium. Tum etiam: quia peccata, quæ diversis legibus opponuntur, tendunt ad suum obiectum sub diversa ratione formali: ergo ex diversitate illarum debet desumi diversitas specifica peccatorum.

Augetur difficultas: Nam præcepta specie distinguuntur, vt supponitur: ergo etiam peccata. Probatur consequentia: non stat diversitas in præceptis sine diversitate obiectorum; sed peccata contra diversas leges respiciunt hæc eadem obiecta: ergo si præcepta distinguuntur formaliter, etiam peccata.

Et confirmatur: Quia saltem peccata inobedientiae debent specie distingui, dum opponuntur diversis præceptis: ergo ex sola diversitate præceptorum possunt desumi peccata specie diversa. Antecedens probatur: nam inobedientia contra legem divinam, & inobedientia contra legem humanam se habent sicut obedientia qua obediunt Deo, & obedientia qua obediunt hominibus: sed hæc distinguuntur specie: ergo etiam peccata inobedientiae.

Ad argument. respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, dummodo leges non habeant motiva versantia circa diversas virtutes. Ad primam probationem dicendum est, quod præcepta penes distinctionem divini, naturalis, & positivi, quoties habent idem motivum, non habent cum peccato

nisi vnam rationem formalem oppositionis, sicut nec prohibent illud nisi sub vna ratione formali. Unde ex vi huius iam veritatis, quod vni vnum tantum contrariatur. Per quod patet ad secundam.

89 Ad argumentum difficultatis, permisso antecedenti; negatur consequentia. Ad cuius probationem dicendum est, quod aliud est motivum operis seu peccati, & aliud est motivum operantis & præcipientis: nam motivum operis est materia circa quam versatur illud opus: motivum verò operantis est finis extrinsecus, quem ipse præcipiens intendit. Ex quo inferitur, obiecta peccatorum esse valde diversa ab obiectis legum: nam peccata specificantur à motivis intrinsecis, quæ possunt esse idem, vt supponimus, vt deur locus qualitioni; non verò à finibus præcipientis, iuxta illud, *Finis præcepti non cadit sub præcepto*, nisi operans intendere per se operari contra talem finem. At leges specificantur à finibus extrinsecis, & operantis, qui diversi sunt. Ut constat in furto, quod vt ait D. Thom. infra quæst. 99. art. 2. habet pro obiecto motivum oppositum motivo iustitiae. Sed lex divina, & humana illud prohibentes habent in sui prohibitione diversos fines, & motiva: siquidem motivum legis divinae est constituere amicitiam inter Deum, & hominem: & motivum legis humanae est, vt homines conservent amicitiam inter se: Unde penes hanc diversitatem distinguuntur lex divina, & humana. Cæterum sicut componitur cum hac diversitate, quod restitio sit eiusdem speciei ex eodem motivo, estò diversis legibus præcipiuntur peccata propter eandem rationem debet esse eiusdem speciei, estò his legibus destinatis opponantur.

Ad confirmationem. respondetur negando antecedens. Et ad eius probationem, concessa maiori; negatur minor. Nam virtus obedientiae est vna in specie atomi; non enim respicit potestatem personarum vt specificatum sui, sed tantum præceptum: & omnia præcepta relatæ ad eam conveniunt in eadem ratione formali. Maxime, quia in omnibus præceptis tota vis descendit à Deo, vt dixit Apost. 13. ad Rom. Videantur N. Salmant. tract. 12. in suo Arb. virtutum num. 80.

Ex his potest deduci resolutio aliquorum casuum in particulari, qui ad praxim, & ad Theologiam moralem spectant. Pro qua ante oculos habendum est, quod stantibus diversis præceptis, vel neganda sunt peccata diversa, vel excogitanda sunt diversa motiva ab eis perse intenta. Et ita Franciscanus, qui non ieiunaret in die veneris occurrente in Quadragesima, & vigilia S. Mathie, in quo videtur frangi triplex præceptum, vel non committeret nisi vnum peccatum; vel si committeret duo, vel tria in confessione aperienda, facile assignari poterunt duo.

Dub. IV. An peccata differant specie secundum obiecta: & an tantum &c? 27

duo, vel tria motiva intrinseca diversa, & opposita diversis virtutibus, aut diversis actibus eiusdem virtutis.

90 Sed antequam progrediamur ad argumenta opposita tertiae assertioni, dabitur: an quando peccata versantia circa eandem materiam opponuntur præcepto naturali, & supernaturali, distinguantur specie, & debeant explicari in confessione? V. g. fractio ieiunii per immoderatam comestionem in die Quadragesimæ, quæ prohibetur ex motivo naturali, & ab Ecclesia ex motivo supernaturali, iuxta illud: *Qui corporali ieiunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia.*

Pro nostro modo dicendi (missis alijs) nota primo, quod præcipiens aliquem actum, vel prohibens actum oppositum, dupliciter potest ad illum se habere, vel mediatè & imperatice, hoc est, quatenus immediatè imperat alium actum, à quo primus imperatur: vel immediatè elicitive, quatenus præcipit, aut prohibet illum non mediante alio actu. Sicut virtus temperantiae infuse imperat immediatè suum actum supernaturalem ex motivo supernaturali, sed mediante illo seu imperatice potest præcipere actum temperantiae acquisitæ, & prohibere eodem ordine actum oppositum prohibitum, aut præceptum immediatè & elicitive à prudentia acquisita. Ex quo fit, quod sicut actus proveniens hoc modo à temperantia acquisita est entitative naturalis, quamvis habeat aliquam subordinationem ad aliquod supernaturale; ita præceptum prædictæ virtutis est naturale, licet ex imperio virtutis infusæ possit respicere aliquod supernaturale.

91 Nota secundò, quod circa eandem materiam raro, vel nunquam dantur duo præcepta affirmativa, aut negativa, aliud naturale, & aliud supernaturale, quasi æque immediatè obligent: quia vbi præceptum supernaturale directè obligat, in eo veluti virtualiter includitur naturale, sicut actus naturalis eminenter continetur in supernaturali. Unde quia in materia virtutum Theologalium extant præcepta affirmativa supernaturalia, idcirco nullum datur præceptum naturale in tali materia perse obligans. Dixi perse obligans: quia per accidens potest præceptum naturale obligare: vt præceptum diligendi Deum obligat ad amorem naturalem Dei eos, qui sunt infideles negative, quia præceptum supernaturale non est illis notificatum. In materia verò virtutum moralium res è contra se habet: quia regulariter virtus moralis naturalis est, quæ obligat immediatè, licet plerumque moveat ad id virtus infusa. Hoc debet intelligi de præceptis positivis.

Nam de præceptis negativis aliter discurrendum est: hæc enim in qualibet materia multiplicentur: nam præceptum naturale prohibet directè actum oppositum rectitudinali naturali, &

præceptum supernaturale actum oppositum rectitudinali supernaturali. Et ratio est: quia cum verterque actus sit malus in se immediatè, immediatè debuit prohiberi: & defectò datur præceptum non solum prohibens immediatè agere contra virtutem acquisitam, sed etiam prohibens immediatè agere contra virtutem infusam.

92 Ex his patet responsio ad dubiosum supra positum. Iuxta quæ dicendum est, quod ibi non datur nisi vnum peccatum, per quod violatur præceptum naturale abstinentiæ, nisi frangens illud etiam intenderet perse agere contra motivum virtutis infusæ, quod raro contingit. Illud enim præceptum ieiunandi solum est proxime dictatum à prudentia naturali, estò ordinetur extrinsecè per virtutem infusam ad finem supernaturalem; qui, vt potest extrinsecus, non cadit sub præcepto. ¶ Nec refert, quod ex fine operantis desumitur specialis malitia. Nam hoc intelligitur, dum est perse intentus. ¶ Neque urget, quod præceptum temperantiae naturalis solum obligat ad veniale. Nam temperantia acquisita potest imponere obligationem gravem, si adiungatur ei aliqua lex positiva ordinans illam ad alium finem actionem extrinsecum: sicut inter nos se habet præceptum non comedendi carnes. ¶ Adde, satis probabile esse, eum qui frangit Ecclesiæ ieiunium extra debitum tempus nimium comedendo, frangere duplex præceptum virtutis acquisitæ, quorum primum prohibet nimium comedere; quod, præcis alijs, pertinet ad peccatum veniale: & aliud comedere extra debitum tempus, licet non sit nimium, & hoc obligat ad mortale: quia intra gulam dantur plures actus speciei distincti, sicut intra abstinentiam naturalem dantur actus habentes similem distinctionem.

93 Arguitur secundò specialiter contra tertiam assertionem: Nam si peccata commissio- nis, & omissionis procedentia ex eodem motivo essent eiusdem speciei moraliter, quis peccans peccato commissio- nis, & simul omissionis, vt non diligens Deum, dum instat præceptum, & illum odio habens; vel non audiens Sacrum, & illum maledicens, non teneretur explicare in confessione, se peccasse peccato commissio- nis, sed sufficeret dicere, se peccasse contra charitatem, aut contra Sacrum, iuxta sententiam valde probabilem asserentem, non dari obligationem explicandi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem; hoc est contra communem sensum Theologorum: ergo non sunt moraliter eiusdem speciei.

Et confirmatur primo nonnullis exemplis. Nam non poenitere de peccato, & habere animam permanendi in illo, sunt omisio, & commissio procedentes ex eodem motivo; & tamen non sunt eiusdem speciei, adhuc moraliter: ergo. ¶ Idem cernitur: si quis iuraret fal-

sum, & nolet iurare veritatem legitime interrogatus. Et si Deum non coleret, & offerret cultum idolis. In quorum primo casu peccatum commissionis est contra religionem, & peccatum omissionis contra iustitiam. In secundo, peccatum commissionis habet speciem idololatriæ, secus vero peccatum omissionis.

Confirmatur secundo exemplis, quibus videtur D. Thomas, quæ videntur oppositum convincere. Nam avarum rapere, & non dare quæ debet, non sunt peccata eiusdem speciei, cum primum sit iniustitia, & secundum avaritiæ. Similiter non ieiunare, & superflua comedere sunt distinctæ speciei: cum vnum sit peccatum mortale, & aliud veniale, quæ in nostra sententia plusquam specie differunt: ergo.

94 Ad argumentum, relicto quòd in exemplis in eo adductis omisio, & commissio non procedant ex eodem motivo, ob dicta num. 63. Respondetur, quòd debet explicari in confessione, si peccatum fuit per modum commissionis, aut omissionis: quia licet peccata commissionis, & omissionis procedant ex eodem motivo pertinent moraliter ad eandem speciem adæquatam; non tamen quodlibet ex illis illam speciem participat adæquatè, cum non sint partes subiectivæ, sed integrales, iuxta dicta num. 87. proindeque integrant illam diversò modo essentiali, mutantque intra eandem speciem adæquatam gradum essentialè malitiæ. Quòd sufficit, ut in omnium sententia debeat explicari, an peccatum fuerit per modum commissionis, vel omissionis, vel utroque modo. Sicut peccatum interius, & exterius propter eandem rationem debent explicari.

Ad primam confirmationem respondetur, quòd prorsus implicatorium videtur, omissionem, & commissionem procedere ex eodem motivo formaliter, & non esse eiusdem speciei moralis, modo pro assertione explicato. Nam si motivum utriusque est iniustitia, necessariò debet utrumque peccatum ad speciem iniustitiæ pertinere: quia ad illam speciem debet pertinere specificatum, ad quam pertinet specificativum. Cum hac tamen differentia inter peccatum commissionis, & omissionis, quòd omisio pertinet ad speciem, v. g. iniustitiæ, iniciative, & per modum fugæ à termino à quo, id est à bono iustitiæ: & commissio completivè, & per modum accessus ad terminum ad quem, nempe ad obiectum contrarium iustitiæ. Et cum ex accessu ad terminum ad quem, & recessu à termino à quo nequeat non resultare vna adæquatè species, sicut ex utraque resultat vna species in motu physico, impossibile est, quòd commissio, & pertinent moraliter ad diversas species.

95 Nec oppositum convincitur exemplis adductis. Nam ad primum dicimus quòd ly non panittere, potest sumi, vel quatenus dicit omis-

sionem actus penitentiæ, eo tempore quo præceptum penitentiæ obligat: vel quatenus dicit permanentiam in aliquo peccato actuali. Si primo modo consideretur, est peccatum omissionis propriè, & procedit ex eodem motivo, ac animus non penitendi; negamus tamen, quòd non sit eiusdem speciei cum illo. Si secundo modo accipiatur, non est omisio, sed commissio; nec procedit ex eodem motivo, ac animus non penitendi, sed cum sit continuatio peccati commissionis, procedit ex eodem motivo, ac ipsum peccatum, & in eadem specie collocatur.

Ad secundum exemplum dicimus, nolle veritatem iurare, quando ad id datur obligatio ex iustitia legali, & iurare falsum non procedere ex eodem motivo intrinseco: nam motivum primi peccati est contrarium iustitiæ legali; & motivum secundi est contrarium religioni. Idem dicimus ad tertium: Nam offerre cultum idolo habet pro motivo ipsum cultum creaturæ oblatum; quòd pertinet ad secundam speciem superstitionis, quòd est idololatriæ. Qui vero præcisè non colit Deum, habet pro motivo intrinseco inordinatum cultum Dei, quòd est proprium primæ speciei superstitionis, quæ est illegitimus cultus.

96 Ad secundam confirmationem respondetur, quòd D. Thom. in præf. sumit ly non dare quæ debet pro omisione actus iustitiæ, ut monuimus num. 83. quò pacto habet idem motivum intrinsecum cum actu rapidiò, secundum quòd dicit ablationem rei alienæ invito domino, & sic utrumque pertinet ad eandem speciem iniustitiæ. Et quia avarus & rapit aliena, & non dat, quæ debet, ob immoderatam solitudinem congregandi divitias, utrumque peccatum pertinet accidentaliter, & secundariò ad speciem avaritiæ.

Ad secundum satis constat ex dictis num. 92. Quibus addimus, quòd actus comedendi superflua in die ieiunij potest esse peccatum mortale, sicut omisio ieiunij. Hic notare oportet, quòd licet præceptum ieiunandi sit negativum, & sic adimpleatur per negationem multiplicis commissionis: quia tamen aliquibus est moraliter impossibilis hæc negatio, ob nimium appetitum comedendi, absque actu positivo, quo velint ieiunare, tale præceptum per accidens, & ex consequenti multoties obligat ad talem actum; & tunc omisio talis actus est eiusdem speciei cum actu, quo frangitur ieiunium. Quòd sufficit, ut

D. Thomas vsus fuerit tali exemplo: quia ad exemplum sufficit aliqualis similitudo.



DUBIUM V.

An omnia peccata sint equalia: Et supposita inæqualitate, unde sumatur?

97 **D**E inæqualitate peccatorum agit D. Thom. quæst. 73. art. 2. & sequentibus. Et prætermittit connexionem inter ea, de qua agit art. 1. quia omni difficultate caret, & quia non nihil diximus tract. de Virtut. disp. 3. num. 20. in hoc dubio complectimur omnia ea, quæ ad eorum inæqualitatem spectant. Sed pro maiori luce, nota primò, duplicem esse gravitatem in peccatis: aliam essentialè, quæ desumitur ex obiecto, à quo speciem, & distinctionem accipiunt: alteram esse accidentalè, quæ attenditur ex accidentibus seu circumstantijs. Sicut in febris duplex datur perfectio, alia essentialis desumpta ex principijs speciei; & altera accidentalis proveniens ex accidentibus, & proprietatibus. De prima agit D. Thom. in art. 2. & duobus sequentibus, & nos cum eo: & de secunda in reliquis vsque in finem.

Nota secundò, quòd licet materia, de qua agimus, magis pertineat ad ordinem morale, quam ad genus physicum; possumus tamen gravitatem eorum pensare vel purè moraliter, hoc est secundum prudentem estimationem & appretiationem; vel more physico, seu metaphysico, sicut de peccato commissionis, & omissionis num. 61. dictum est. Et in his sensibus procedit dubium, cuius resolutio sequentibus assertionibus absolvenda est.

§. I.

Prima assertio veritatem catholicam stabilens.

98 **D**icendum est primò, non omnia peccata esse equalia, sed alia esse alijs graviora. Hæc assertio est de fide. Et colligitur expressè ex illo Ioann. 19. vbi de peccato Iudæ relata ad peccatum Pilati dicitur: *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Non minus constat ex alijs Scripturæ, & Patrum testimonijs, quæ late referunt plures Commentatores Div. Thom.

Et probatur ratione eiusdem S. Doctoris, pro cuius officia declaranda proponitur hæc prima assertio. Pro cuius tamen luce, nota primò, D. Thomam præcipue agere contra Stoicos, qui asserabant, omnia peccata esse equalia, ex eo quòd peccatum consisteret in privatione; & inter privationes nullam agnoscebant inæqualitatem. Quorum fundamentum ex hoc præcisè capite intendit debilitare, ostendens quasi ad hominem infirmitatem illius. Nota secundò, duplex esse genus privationum: alia dicitur sim-

plex, pura, seu totalis, quæ consistit in corrupto esse, & nihil formæ oppositæ relinquit in subiecto, sicut mors, cæcitas, & alia huiusmodi: quæ talis conditionis sunt, ut omnino in indivisibili consistant, neque intra suam quasi speciem suscipiant magis, & minus; & propterea, ut inquit D. Thom. non datur vna mors maior altera, nec vna cæcitas. Altera dicitur permixta, seu non totalis, quæ non consistit in corrupto esse, sed in corrumpi: quia formam sibi oppositam penitus à subiecto non expellit, sicut ægritudo: & hæc potest suscipere magis & minus, & crescit, aut decrescit, secundum quòd magis, vel minus debita commensurationem humorum repellit: & hæc ratione vna ægritudo est maior altera. Quibus prænotatis:

99 Ratio Div. Thomæ reducitur ad hanc formam: Privatio, in qua consisteret peccatum, non est privatio in corrupto esse, seu totalis, sed tantum in corrumpi, seu in fieri; sed inter privationes huius generis potest dari inæqualitas: ergò licet peccatum consisteret in privatione, potest dari inæqualitas inter peccata. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: nam privatio peccati consistit in privatione debite commensurationis cum ratione; sed hæc non totaliter destruitur per peccatum, aliàs destrueretur totus actus, & consequenter ipsum peccatum: quia substantia actus nequit remanere; quin remaneat aliquid de ratione: ergo privatio, in qua consisteret peccatum, non est totalis, seu in corrupto esse, sed tantum est in fieri, seu in corrumpi.

100 Sed obijciens cum Vazquez, cui hæc ratio D. Thomæ non arridet. Nam falsum est, quòd privatio, quæ in peccato reperitur, sit tantum in fieri, seu in corrumpi, & non totalis seu in corrupto esse: quia ea privatio est in corrupto esse, quæ nihil formæ sibi oppositæ in subiecto relinquit; sed privatio, quæ est in peccato, est huiusmodi: ergo non consistit præcisè in corrumpi, sed etiam in corrupto esse. Minor probatur: nam forma, cui opponitur privatio peccati, est rectitudo moralis; sed in nullo peccato remanet aliquid rectitudinis moralis, alias idem actus semper & simul esset bonus, & malus moraliter: ergo privatio, quæ est in peccato, est simplex, totalis, & consistit in corrupto esse.

Hæc obiectio (quæ difficultate non caret) adeo torquet Theologorum ingenia, ut in varios, & inter se diversos occurrunt modos ferret abire. Sed omnibus his brevitatis gratia missis: Respondetur cum perdoctis NN. Salm. in hoc tract. disp. 9. §. 3. concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicimus, quòd privatio, in qua consistit malitia privativa peccati, non est privatio immediata bonitatis, seu rectitudinis formalis moralis, sed rectitudinis fundamentalis, ut infra dicemus, dum

dum de peccato commissionis tractemus. Hæc autem coalescit ex illis omnibus, quæ bonitatem moralem possunt fundare, vt est tendentia ad obiectum, ad finem, circumstantias, & ad rationem. Et nullum est peccatum, in quo non remaneat aliqua rectitudo fundamentalis; sicut nullum est, cuius omnia principia, & circumstantiæ sint obiective vitiosæ. Et in hoc sensu, inquit Philof. in 4. Ethic. cap. 5. nullum peccatum esse malum in summo. In quo eodem sensu docet D. Thom. quæst. 2. de Mal. art. 9. quod in eo, qui inordinate comedit, semper remanet aliqua bonitas fundamentalis per habitudinem ad obiectum, aut aliquam circumstantiam. ¶ Quod si aliquando accidat, quod actus est vitiosus ex obiecto, & omnibus circumstantiis: Dicendum est, quod vel regulariter hoc non contingit; quod sufficit ad intentum D. Thomæ. Vel quod manet semper aliqua habitudo ad rationem, saltem secundum gradum genericum, ratione cuius petit moraliter determinari per bonitatem moralem, & hæc exigentia aliqua bonitas fundamentalis est. Aliam viam excogitarunt satis facilem N. Salmant. in hoc tract. disp. 9. a num. 13. Videantur ibi.

§. II.

Secunda assertio circa peccata iurè positivè prohibita.

101 **D**icendum est secundò, non solum dari inæqualitatem inter peccata, quæ sunt prohibita, quia mala; sed etiam inter peccata, quæ sunt mala, quia prohibita. Et probatur breviter ratione: prædicta peccata possunt pertinere ad diversas species, vt liquet in fractione ieiunij, & in fractione diei festi laborando; sed species sunt sicut numeri se excedentes in perfectione, aut deformitate iuxta qualitatem materiæ: ergo inter peccata iurè humano, aut positivè prohibita potest dari inæqualitas.

Et confirmatur primò: Nam possunt contrariari diversis virtutibus, vt liquet in exemplis appositis: & generaliter loquendo, nulla est lex positiva, quæ præcipiat, aut prohibeat aliquid nisi ex motivo alicuius virtutis; sed peccatum oppositum præstantiori virtuti, cæteris paribus est gravius, vt infra dicemus: ergo potest dari inæqualitas inter prædicta peccata.

Confirmatur secundò: Nam etiam in his peccatis privatio, in qua consistit malitia, est tantum privatio in fieri, quia non corrumpit totum actum; sed hæc ratione probavimus, omnia peccata non esse paria: ergo.

102 Nec refert, si dicas, quod agere contra legem positivam est malum per accidens, & ex suppositione: & in his, quæ sunt mala perac-

cidens, non oportet, quod detur inæqualitas, vt docet D. Thom. 3. contra Gentes cap. 139.

Non, inquam, refert. Tum quia de essentia peccati est esse contra legem: ergo non est malum per accidens, estò sit contra legem positivam. Tum etiam: Quia licet obiecto non conveniat persè esse prohibitum; supposita tamen prohibitione, agere circa materiam prohibitam, æquè persè est agere contra illam, ac agere contra legem naturalem: ergo si in peccatis contra ius naturale datur inæqualitas, etiam in peccatis contra ius positivum. ¶ Sensus D. Thomæ in illo loco contra Gentes tantum est, quando lex statuit limitem in sui prohibitione: sicut Ecclesia ex lege ieiunij statuit vnicam comestionem: vbi per accidens se habet, quod frangatur per duas, vel tres comestiones. Quare in hoc, & in alijs similibus, quoad formalem malitiam se habet persè, quod terminus præfixus a lege non observetur; & de materiali seu per accidens, quod fiat per tres, aut quatuor comestiones.

103 Ex dictis inferitur, inæqualitatem in his peccatis resultare ex eisdem capitibus, ac in peccatis contra ius naturale. Nam sicut peccata contra ius naturale possunt esse inæqualia tam ex parte obiecti, quam ex parte finis, aut aliarum circumstantiarum: ex his etiam capitibus possunt esse inæqualia peccata contra ius positivum. Quia vnum peccatum potest habere peius obiectum, quam aliud, vt si opponatur præstantiori virtuti: potest ordinari ad peiorem finem, vt si quis non ieiunaret ex motivo operandi contra virtutem supernaturalem, & alius ex motivo inanis gloriæ: & tandem si quis intensius vellet obiectum prohibitum, & alius remisè.

Verum quidem est, quod in aliquibus peccatis inæqualitas peccatorum, quæ sunt contra ius positivum, non sumitur penes maiorem, aut minorem quantitatem: quia non peccat magis contra legem ieiunij, qui extra debitum multum comedit, quam qui parum: nec magis peccat contra legem ieiunij naturalis, qui ante celebrationem Missæ magis comedit. Sed hoc non est universaliter verum: quia etiam possunt esse inæqualia ex quantitate obiecti, vt liquet in eo, qui comedit carnes feria sexta plus comedendo: & in eo, cui prohiberetur ambulatio, & plus ambularet. Ratio verò cur gravitas peccati in aliquibus non crescit ex quantitate obiecti, est, quia in eis solum prohibentur secundum aliquam rationem indivisibilem pro libito legislatoris, vt num. præced. dictum est.

104 Sed inquires: an doctrina data in hoc, & præcedenti §. locum habeat in peccatis omissionis inter se? Ratio dubitandi est, quia privatio, in qua consistit peccatum omissionis, est totalis, & in facto esse, cum sit privatio totius actus debiti.

Ad quod sub distinctione respondendum est

est. Nam vel sumitur peccatum omissionis adæquate, idest quatenus includit actum, qui est causa omittendi; vel præcisè secundum ipsam privationem, per quam essentialiter constituitur in ratione peccati omissionis. In peccatis omissionis vtroque modo sumptis proculdubio potest dari inæqualitas ratione vel intensiois, vel durationis, conatus, voluntarij &c. Si enim peccata sumantur priori modo, eadem ratio militat de eis, ac de peccatis commissionis, vt ex se liquet. In eis etiam consideratis secundo modo potest reperiri inæqualitas adhuc intra eandem speciem: quia inæqualitas reperta in actibus, qui sunt causa omissionis, intrinsecè refunditur in eas, sicut ratio voluntarij, & durationis. Quamvis omissiones sumptæ secundum se, & ex parte earum sint peccata æqualia intra eandem speciem. Dixi intra eandem speciem: Nam si omissiones pertineant ad diversas materias, etiam debent habere inæqualitatem specificam desumptam per ordinem ad actus, quibus privant, & a quibus specificantur.

§. III.

Tertia assertio primum caput inæqualitatis declarans.

105 **D**icendum est tertio, peccatum ex obiecto gravius posse superari simpliciter in esse purè morali à peccato inferioris speciei ratione circumstantiarum aggravantium intra eandem speciem. Diximus in esse purè morali, quod est idem, ac iuxta æstimationem prudentum: Quia omnino certum est, quod peccatum ex obiecto levius non potest adæquare peccatum ex obiecto gravius, si comparatio fiat quoad essentialem gravitatem, & in esse physico, aut metaphysico: siquidem nulla forma inferioris ordinis potest adæquare metaphysicè formam superioris ordinis, quantumcumque illa crescat intra suum gradum: ideoque nulla anima rationalis est possibilis, qua quoad perfectionem essentialem adæquet Angelum. Diximus etiam ratione circumstantiarum aggravantium intra eandem speciem: Quia non minus certum est, quod si circumstantia extrahat peccatum levius ex obiecto ad aliam speciem peccati, potest excedere simpliciter peccatum ex obiecto gravius. Ut liquet in furto, quod est levius ex obiecto, quam rapina; & si sit furto rei sacræ, excedit absolute & simpliciter illam, ratione circumstantiæ pertinentis ad speciem sacrilegij. Assertio ergo nostra procedere debet tantum in sensu, quem termini illius præferunt, eamque tenent Caiet. 2. 2. quæst. 158. art. 4. §. ad 2. Soto, Godoy, N. Salmant. cum alijs Thomistis. Et ex Societate Valentia, Suarez, Azor, Salas, Granados, & alij.

Et probatur ratione fundamentalis: Nam il-

lud peccatum est gravius absolute, & simpliciter, quod est dignius maiori pena simpliciter; sed peccatum ex obiecto levius potest ratione circumstantiarum aggravantium intra eandem speciem esse dignum maiori pena simpliciter: ergo potest excedere absolute & simpliciter peccatum ex sua specie gravius. Maior videtur certa: nam dignitas penæ sequitur gravitatem peccati, & condignitas ad maiorem penam maiorem gravitatem malitiæ debet supponere. Minor vero evidenter probatur: nam periculum ex se gravius peccatum est, quam furto; sed furto potest deberi maior pena, quam periculo: nam demus, quod periculum sit intentum vt quatuor, & ex nullo alio capite habeat malitiam, tunc debetur illi pena determinata: è converso pena, quæ furto potest deberi, potest crescere in infinitum, vel ratione intensiois, vel ratione quantitatis: ergo potest hoc esse dignius maiori pena, quam illud.

Accedit ad hoc, quod mille homicidia, v.g. in æstimatione prudentum digna sunt maiori pena, quam vnum periculum, quis hoc neget? & tamen continentur intra speciem levioris gravitatis: ergo in æstimatione morali potest peccatum ex obiecto levius excedere in gravitate peccatum ex obiecto gravius.

106 Respondet primò Vazquez, quod ex condignitate ad penam inepè arguitur maior, aut minor malitia: Quia pena in omnibus peccatis est eiusdem rationis; cum tamen peccata, de quibus est sermo, sint diversæ rationis.

Sed contra est. Nam eo ipso, quod peccato ex obiecto leviori debeatur vel maior, aut æqualis pena, adhuc eiusdem rationis, rectè deducitur adæquare, aut superare moraliter in gravitate malitiæ; sed non potest negari, quod maior pena, saltem eiusdem rationis, potest deberi peccato ex obiecto leviori ratione alicuius circumstantiæ aggravantis: ergo rectè arguitur, posse illud adæquare, & superare. Maior probatur: nam pena debita cuilibet peccato est in iudicio divino illi proportionata: ergo si debetur peccato ex obiecto leviori gravius pena, quamvis sit eiusdem rationis, debet hoc excedere peccatum ex obiecto gravius in malitia in esse morali.

107 Respondet secundò, ex nostra ratione tantum inferri, quod peccatum ex obiecto levius possit adæquare, aut superare peccatum ex obiecto gravius in ratione demeriti.

Sed contra. Nam hinc evidenter arguimus (ni fallimur) etiam illud superare in gravitate malitiæ in esse morali. Nam ratio demeriti, quæ est proprietas malitiæ, ita est proprietas illius, quod ad maiorem malitiam, consequatur condignitas ad maiorem penam, sicut ad maiorem bonitatem moralem condignitas ad maius premium, ita vt condignitas talis sit proportionata cum tali bonitate, aut malitia: ergo implicato-

rium est, quod omnia peccata sint paria in ratione demeriti: ergo si peccatum ex obiecto levius potest adæquare, aut superare in ratione demeriti peccatum ex obiecto gravius, etiam in ratione malitiæ in esse morali.

108 Sed obijcies primò: Nam iuxta Div. Thomam gravitas desumpta ex obiecto est principalior ea, quæ desumitur ex circumstantiis, vt videri potest art. 3. huius quaestionis 73. 2. 2. quaest. 163. vbi ait, quod peccatum adæ tantum potuit esse gravissimum secundum quid ex circumstantia personæ. Et quaest. 2. de Malo, art. 8. vbi expresse docet, gravitatem provenientem ex circumstantiis, quæ non mutant speciem, non posse adæquare gravitatem, quæ desumitur ex obiecto.

Ad hoc argumentum responderetur, quod gravitas desumpta ex obiecto dicitur *principalis* à D. Thoma, non quia superari non possit ab accidentali desumpta ex circumstantiis; aliàs nec superari posset à malitiâ desumpta ex circumstantiis mutantibus speciem: sed dicitur *principalis*, quia est essentialis, & prima, & veluti substantialis, quæ, cæteris paribus, alijs præferenda est. Nec oppositum docet in quaestione relata de Malo: Quia ibi tantum est sermo de gravitate in esse physico. ¶ Id, quod adducitur de peccato Adami, facile dispellitur. Nam intentum nostrum non est, quod gravitas desumpta ex qualibet circumstantia sit maior absolute & simpliciter: quia quandoque est maior simpliciter, aliquando tantum secundum quid: & in hoc ultimo sensu peccatum Adami ratione circumstantiæ personæ fuit gravissimum. Quod non tollit, quod aliquod peccatum ex obiecto levius, ex altera circumstantia possit ita crescere in gravitate, vt aliud ex obiecto gravius possit superare simpliciter, vt liquet in exemplis pro nobis adductis, & alijs innumeris.

109 Obijcies secundò: Species inferioris ordinis, quantumcunque crescat in perfectione accidentali contenta intra suam speciem, non potest adæquare perfectionem speciei ordinis superioris: & hac ratione peccatum veniale, quantumcunque crescat, non potest adæquare in gravitate malitiæ peccatum mortale: ergo peccatum ex obiecto levius nequit superare, nec adæquare in gravitate peccatum ex obiecto gravius ratione circumstantiæ contentæ intra eandem speciem.

Responderetur, antecedens esse verum de specie ordinis inferioris in esse physico; secus verò de illa in esse morali: vt liquet in argento, quod in aliqua magna quantitate potest adæquare, & superare moraliter aurum in minima quantitate. Et ratio est eadem in presenti materia: quia in esse morali peccatum inferioris ordinis potest ita crescere ratione quantitatis, aut alterius circumstantiæ, vt iuxta prudentium iudicium censetur dignum maiori pœna: sicut iuxta illud

censetur causare maius dampnum. ¶ Exemplum peccati venialis non tenet: quia hoc in affirmatione prudentum semper remanet in ratione peccati levius. Et insinuat in sententia contraria: nam peccatum veniale odij Dei est superioris ordinis specificè relatè ad peccatum mortale furri; & tamen hoc est gravius in esse morali. Pariformiter ergo dicimus, quod peccatum veniale ex nullo capite potest in affirmatione morali adæquare minimum peccatum mortale.

§. IV.

Quarta assertio secundum, & præcipuum caput inæqualitatis explanans.

110 **D**icendum est quarto, illud peccatum esse secundum suam speciem gravius, quod directè opponitur præstantiori virtuti. Hanc tenent communiter Thomistæ cum nonnullis limitationibus infra adducendis. Eamque docet expresse Div. Thom. in quaest. 73. supra relata, art. 4. & quaest. 2. de Malo, art. 10. vbi ait: *Gravitas ergo peccati, quam habet ex specie sua, attenditur ex parte obiecti, sive materia: & secundum hanc considerationem gravius peccatum dicitur ex suo genere, quod maiori bono virtutis opponitur.*

Et probatur ratione eiusdem S. Doctoris ex art. 4. relato deducta: Nam illud peccatum est gravius, cuius obiectum formaliter est peius, & magis dissonum rationi: sed peccatum oppositum præstantiori virtuti habet obiectum formaliter peius, & magis dissonum rationi: ergo secundum suam speciem peccatum illud est gravius, quod opponitur præstantiori virtuti. Maior videtur certa: nam sicut species actus sumitur ex obiecto tam in esse physico, quam in esse morali; ita maior, aut minor bonitas, & deformitas illius debet desumi ex perfectiori, aut imperfectiori obiecto formaliter.

Minor verò probatur: tum quia quod obiectum est magis inordinatum, eò est peius formaliter in ratione obiecti, & magis dissonum rationi; sed obiectum peccati oppositi præstantiori virtuti est magis inordinatum, cum ponat deordinationem circa nobiliorem materiam (qua ratione vii sumus supra nim. 50. ad probandum, quod actus est peior habitus absolute & simpliciter) ergo peccatum oppositum præstantiori virtuti habet obiectum peius, & magis dissonum rationi. *Tum etiam:* Nam quod obiectum virtutis est magis consonum rationi, eò obiectum ei contrarium est magis dissonum rationi: ergo idem quod prius. Consequentiæ est legitima. Et antecedens est certum: nam contraria sunt, quæ maximè distant. *Tum denique:* Nam virtus, & peccatum ei directè oppositum versantur circa eandem materiam; contrarietas tamen modo: nam

nam virtus versatur circa eam accedendo ad medium constitutum per rationem; & peccatum recedendo à tali medio; sed ea materia æquè gravis est, prout attingitur per recessum, ac prout attingitur per accessum: & hac ratione sicut Deus est summæ dignitatis, vt attingibilis per amorem, seu perfectionem, etiam est summæ gravitatis, vt attingibilis per odium: ergo.

111 Sed vt hæc assertio certior evadat, adhibendæ sunt nonnullæ limitationes, quibus præhabitis, nulla manebit dubitandi ratio. Prima est, quod peccatum oppositum præstantiori virtuti debet esse oppositum directè obiecto primario illius: quia virtus non explicat totam suam perfectionem circa obiectum secundarium. Et hac ratione odium proximi, quamvis opponatur nobilissimæ virtuti, videlicet charitati, non est gravissimum peccatum: quia proximus est obiectum secundarium. Videatur D. Thom. in hoc art. 4. citat. ad 3. & 2. 2. quaest. 39. art. 2. ad 3. vbi eadem ratione docet, schisma non esse peccatum gravius infidelitate.

Secunda est, quod peccatum oppositum inferiori virtuti, non includat oppositionem cum virtute superiori: nam ratione huius oppositionis includit prædictum peccatum poterit superare illud, quod opponitur directè virtuti superiori. Hac ratione adulterium, eò opponatur castitati, quæ est virtus inferior iustitiæ, cui opponitur furtum; est tamen gravius peccatum, quia etiam includit oppositionem cum iustitiâ. Item, quamvis prudentia sit perfectior omnibus virtutibus moralibus; potest tamen peccatum ei directè oppositum superari à peccato opposito alteri virtuti morali: quia hoc etiam includit oppositionem cum prudentia. Et idololatria opposita religioni, quæ est virtus inferior fide, & spe, est gravius peccatum, quam infidelitas, & desperatio: quia includit infidelitatem, vt docet D. Thom. 2. 2. quaest. 94. art. 3.

112 Tertia est, quod peccata, de quibus fit comparatio, habeant eundem modum oppositionis ad virtutes contrarias: nam si vnum opponitur per commissionem, & aliud per omissionem, verosimile est, quod peccatum commissionis oppositum inferiori virtuti potest in gravitate superare peccatum omissionis oppositum superiori virtuti. Iuxta quod potest dici, quod homicidium est gravius peccatum, quam omisio Sacri, licet illud opponatur virtuti iustitiæ, quæ est inferior religione, cui opponitur omisio Sacri. ¶ Nec contra hoc obest, quod peccatum omissionis, & commissionis sunt eiusdem speciei intra eandem materiam. Quia iam diximus, quod in affirmatione morali peccatum ex obiecto levius potest ex aliquo capite superare peccatum ex obiecto gravius. Ratio verò, cur hoc potest contingere in peccato commissionis relatè ad omissionem, est, quia omisio solum

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

est initiativè peccatum intra suam materiam, & commissio est peccatum completivè. Nec est mirum, quod peccatum completum in inferiori linea possit superare in affirmatione morali peccatum, quod est tale tantum initiativè in superiori linea, aut specie.

Quarta, quod actus virtutis imperfectioris non sit magis debitus: nam ratio maioris debiti peccati ei oppositum potest excedere peccatum oppositum actui perfectioris virtutis, & minus debito. Hac autem limitatio solum potest deservire pro peccatis omissionis: quia in peccatis commissionis vel semper est debita reductio perfectioris virtutis: vel ratione inordinationis positiva semper excedit id, quod opponitur præstantiori virtuti. Pro peccatis verò omissionis potest sustineri, saltem quoad legislatorem humanum, qui non semper præcipit id, quod melius est. Pro quo videndus est D. Thom. 2. 2. quaest. 105. art. 2.

Quinta, & vitiosa, quod cætera sint paria, propter superius dicta in præcedenti assertione.

§. V.

Opposita sententia huic vitiosa assertioni.

113 **P**RO sententia assertioni vitiosæ contraria referuntur Vasquez, Lorca, Salas, & alij, qui, nisi addantur aliæ limitationes, non concedunt, peccatum oppositum virtuti perfectiori esse gravius. Et arguitur primò ex D. Thom. 1. 2. quaest. 84. art. 4. vbi docet, quod non oportet, principalia vitia opponi principalibus virtutibus. Et in hac quaest. 73. ait, quod *etiamsi virtutes essent pares, non sequeretur, vitia esse paria.*

Et confirmatur ex D. Chrysof. homil. 68. vbi ait, quod avaritia est maius peccatum, quam furtum, & rapina; & tamen opponitur liberalitati, quæ est virtus inferior iustitiæ, cui opponitur furtum: ergo. Idem docet D. Thom. 2. 2. quaest. 135. art. 1. ad 3. vbi ait, illiberalitatem esse peius peccatum parvificentiæ; & tamen hæc opponitur magnificentitiæ, quæ est perfectior liberalitati: ergo. Idem colligitur ex Glossa, Levit. 15. vbi dicit, quod idololatria est gravissimum peccatum: Et Isai. 18. idem docet de blasphemia: constat autem religionem, & fidem, quibus opponitur, non esse maximas omnium virtutum: ergo.

Confirmatur secundò alijs exemplis: nam intemperantia excedit in gravitate peccatum timiditatis, vt docet D. Thom. 2. 2. quaest. 142. art. 3. & tamen fortitudo, cui opponitur timiditas, est perfectior temperantia, cui opponitur intemperantia: ergo. ¶ Item prudentia est virtus perfectior temperantia; & tamen peccatum intemperantiæ potest esse gravius, quam incon-

E. fide.

fideratio; negligentia, & alia ſimilia, quæ opponuntur prudentiæ: ergo. ¶ Tandem, ſuperbia eſt graviffimum peccatum, iuxta D. Thom. 2. 2. quæſt. 162. art. 6. & tamen humilitas ei oppoſita non eſt maxima virtutum: ergo.

114 Ad argumentum, & primum teſtimonium D. Thomæ reſpondetur, nomine *principalium vitiorum* non intelligi vitia peiora, ſed tantum vitia capitalia, quæ ſunt radices aliorum: & de his verum eſt, quòd non ſunt abſolutè graviora, vt liquet in gula. ¶ Ad ſecundum teſtimonium, dicendum eſt, quòd D. Thomas non ſumit ibi æqualitatem virtutum pro æqualitate ſpecifica, ſed pro æqualitate, quam habent omnes virtutes, prout ſunt in ſtatu perfectò, & connectuntur cum prudentia: & in hoc omnes virtutes ſunt pares; ſed non oportet, quòd vitia ſint paria.

Ad confirmationem, & teſtimonium D. Chryſoſt. dicimus, quòd non loquitur de avaritia ſumpta præciſè ſecundum ſuam ſpeciem, ſed prout includit peccatum iniuſtitiæ. Legatur de verbo ad verbum. ¶ Ad exemplum parviſicentiæ, & liberalitatis, deſumptum ex D. Thomæ: Reſpondetur, quòd illiberalitas eò eſt maius peccatum, quia includit in ſe parviſicentiam, & non e contra: nam illiberalis non poteſt eſſe magnificus, & parviſicus poteſt eſſe liberalis. Unde non eſt mirum, quòd illiberalitas ſit peccatum gravius, quamvis non opponatur præſtantiori virtuti. ¶ Ad alia duo exempla idololatriæ, & blaſphemiarum deſumpta ex Gloſſa idem dicimus, iuxta dicta num. 11.

115 Ad ſecundam confirmationem, & primum exemplum intemperantiæ relatè ad timiditatem: Reſpondetur negando maiorem, ſi intelligatur de gravitate ſpecifica & eſſentiali. Et D. Thomas intelligendus eſt quantum ad malitiam accidentalem deſumptam ex circumſtantijs, maximè obiectivis. Quod poteſt explicari in hunc modum: nam ſicut circumſtantiæ ſe tenentes ex parte principij poſſunt augere, & minuere malitiam per augmentum, & diminutionem voluntarij ratione maioris, aut minoris paſſionis, ignorantie, & ſimilium; ita maior, aut minor difficultas obiectiva poteſt augere, & minuere rationem voluntarij, & conſequenter malitiam. Et hoc contingit in obiecto timiditatis relatè ad obiectum intemperantiæ: nam materia, circa quam verſatur timiditas, eſt mortis, & tormentorum pericula, quæ ob ſui arduitatem, & quia ſupponunt amorem valdè neceſſarium ad conſervandam vitam, & quia generant timorem, & triſtitiã, quæ offuſcant rationem, nequeunt non minuire magna ex parte rationem voluntarij. Quod non adeò vrget in obiecto intemperantiæ: & hac ratione peccatum intemperantiæ eſt gravius accidentaliter peccato timiditatis. Pro quo videatur D. Thom. loco citato.

Nec obſtat contra hoc, quòd peccatum timiditatis ex genere ſuo eſt veniale, & plura peccata contra temperantiã ex genere ſuo ſunt mortalia, vt fornicatio, adulterium, & peccatum contra naturam. Nam hæc peccata poſſunt conſiderari dupliciter, vel prout pertinent ad genus luxuriæ, vel prout pertinent ad genus intemperantiæ, & ſunt in illo. Prædicta ergo peccata licet ſint mortalia prout pertinent ad genus luxuriæ, ſecus verò prout præciſè ſunt intra genus intemperantiæ. Sunt verò mortalia prout pertinent ad genus luxuriæ, quia addunt oppoſitionem contra iuſtitiam, aut alias virtutes, aut contra aliquod aliud virtute. Quod fiet perſpicuum diſcurrendo per ſingula: Nam adulterium eſt contra iuſtitiam coniugis: ſuprum, & raptus virginis contra iuſtitiam ipſius virginis, aut Patris: inceſtus contra reverentiam ſanguinis, hoc eſt contra pietatem: ſimplex fornicatio eſt contra bonum hominis naſcitur, quatenus ex ea tollitur certitudo vite illius, aut educatio bona. ¶ Nec refert, quòd aliquis poſſet ſufficenter providere de educatione prolis. Quia, vt inquit D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 2. ad 4. lex ſolum attendit quod eſt perſe, & regulariter accidit, & non id, quod eſt per accidens.

¶ Minus refert, quòd proles nullum ius habet, vt generetur, neque vt bonæ illius educationi provideatur. Quia hoc tantum arguit: quòd non ſit rigorosè contra iuſtitiam, bene verò contra iuſtitiam æquivalentem ſeu virtualem: quatenus ponit deordinationem contra legem præcipientem, quod ex ſuppoſitione, quòd quis det operam generationi, fiat hoc, ſervatis omnibus, quæ ipſa generatio, & bonum prolis generanda expoſcunt.

116 Per quod patet ad peccatum contra naturam: quia dicit ſimilem oppoſitionem contra iuſtitiam, vt ex ſe liquet & addit oppoſitionem ad aliquod aliud virtute. Opponitur enim ipſi bono ſpeciei humanæ, & ordini naturali, ad quem omnes virtutes referuntur, vt qui à Deo immediate procedit: & quia ſit ſpecialis iniuria Deo, propterea inquit D. Thom. quæſt. citat. art. 12. ad 2. quòd excedit ſacrilegium. Et ob eandem rationem docet quæſt. 150. art. 2. ebrietatem, oppoſitam temperantiæ, eſſe peccatum mortale: quia includit ſpecielem deformitatem contra rationem, privans totaliter uſu illius: ac proinde præter oppoſitionem cum temperantiã includit oppoſitionem contra aliquod aliud virtute.

Ad ſecundum exemplum, quod reducit ad peccata oppoſita pluribus virtutibus moralibus relatè ad plura peccata oppoſita virtuti prudentiæ, ſatis conſtat ex dictis num. 111. quòd exceſſus illorum in gravitate deſumitur ex oppoſitione, quam includunt contra prudentiam, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 119. art. 3. ¶ Ad tertium exemplum optimè reſpondet D. Thom.

Dub. V. An omnia peccata ſint æqualia: Et ſuppoſita in æqualitate, &c? 35
2. 2. quæſt. 162. art. 6. ad 2. ubi ait: *Quòd oppoſitio vitij ad virtutem attenditur ſecundum obiectum: quod conſideratur ex parte converſionis. Et ſecundùm hoc ſuperbia non habet, quòd ſit maximum peccatorum, ſicut nec humilitas, quòd ſit maxima virtutum. Sed ex parte averſionis eſt maximum, ut patet alijs peccatis magnitudinem præſtatis. Nam per hoc ipſum infidelitatis peccatum gravius redditur, ſi ex ſuperbia contemptu procedat, quàm ſi ex ignorantia, vel infirmitate proveniat.*

117 Arguitur ſecundò: Nam ſi illud peccatum eſt gravius, quod opponitur præſtantiori virtuti, etiam reſpectu euſdem virtutis gravius eſt illud, quod opponitur actui perfectiori; conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Minor probatur primò: nam dilectio inimici eſt perfectior, quàm dilectio amici; & tamen odium amici eſt gravius, quàm odium inimici, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 27. art. 7. ergo peccatum oppoſitum actui præſtantiori euſdem virtutis non eſt gravius. *Secundò*: reſpectu gratitudinis perfectius eſt beneficium rependere, quàm illud recognoſcere; & tamen beneficium non recognoſcere eſt gravius peccatum, quàm beneficium non rependere, vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 107. art. 2. ergo idem quod prius. *Tertiò*: Proſiteri fidem coram tyranno mortem minanti eſt actus perfectior, quam illam proſiteri ſine imminentis tormentorum; & tamen fidem negare ſine tormentis eſt gravius peccatum, quàm in conſpectu tormentorum illam deſerere, vt docet D. Hieronym. ad Galat. 1. ergo.

Et confirmatur: Nam eidem virtuti ſæpè opponitur duplex vitium contrarium, aliud per exceſſum, & aliud per defectum, vt liberalitati prodigalitas, & avaritia: ergo gravitas peccatorum non redè aſſignatur per oppoſitionem ad virtutes.

Ad argumentum reſpondetur, conſeſſa ſequela maioris; negando minorem. Ad primam probationem neganda eſt maior: Nam, vt docet D. Thom. loco in ea citato, dilectio amici ſubſtantialiter eſt perfectior, quàm dilectio inimici, eò quòd amicus eſt magis per charitatem ſibi coniunctus, & eſt materia maioris dilectionis digna. Accidentaliter tamen amor inimici poteſt eſſe perfectior ratione maioris difficultatis, & quia arguit maiorem amorem Dei. Sed gravitas peccati debet attendi per oppoſitionem ad actum perfectiorem ſecundum ſuam eſſentiam, cæteris paribus.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd beneficium non recognoſcere, propterea eſt gravius peccatum, quia includit in ſe beneficium non rependere: ideoque non eſt mirum, quòd ſit gravius. ¶ Ad tertiam reſpondetur, quòd negare fidem ſine tormentis, tantum eſt gravius accidentaliter: quia qui fidem negat ſine tor-

mentis, magis voluntarie illam deſerit. Et in hoc ſenſu loquitur D. Hieronymus.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd inter peccata oppoſita eidem virtuti per exceſſum, & defectum illud eſt gravius, quod magis diſtat à virtute: quia magis opponitur illi, ſicut illi minus aſſimilatur. Sed ad cognofcendum quando vitia, aut peccata magis opponantur virtutibus, conſideranda ſunt virtutes in duplici differentia: nam quædam ordinantur ad compeſcendum appetitum concupiſcibilis, quaſi retrahendo: quædam ordinantur ad impellendum appetitum irraſcibilis, quaſi aggrediendo. Igitur peccata oppoſita per exceſſum virtutibus primi generis ſunt eis magis diſſimilia, magisque ab eis diſtant: & propterea ſunt peiora peccata: vt liquet in ſuperbia oppoſita humilitati per exceſſum; & in puſillanimitate per defectum. E contra peccata oppoſita per defectum virtutibus ſecundi generis ſunt graviora, quia ab eis magis diſtant: & ideo maius peccatum eſt timiditatis oppoſita fortitudini, quàm perti-

118 Arguitur tertio: Peccatum mortale gravius eſt veniali; ſed multoties peccata venalia ex genere opponuntur perfectiori virtuti, & peccata mortalia imperfectiori, vt liquet in pluribus peccatis oppoſitis prudentiæ, quæ ſunt venialia, & peccatis oppoſitis iuſtitie, quæ ex genere ſunt mortalia, quamvis prudentia ſit virtus perfectior iuſtitia: liquet etiam in mendacio, quòd ex ſe eſt peccatum veniale, & in pluribus peccatis oppoſitis temperantiæ, quæ ex ſe ſunt mortalia, licet veracitas ſit virtus perfectior temperantiæ: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur, conſeſſa maiori; negando minorem. Nam, vt optimè vidit D. Thom. quæſt. 2. de Malo, art. 109. perfectio virtutis attenditur ex ordine ad charitatem, itaut illa ſit perfectior, quæ magis dicitur ad finem charitatis, & cum ea connectitur. Hoc pacto certum eſt, quòd virtus, cui opponitur peccatum mortale, eſt magis connexa cum charitate, quàm virtus, cui opponitur peccatum veniale: quia virtus oppoſitum illi magis repugnat charitati, vt ex ſe conſtat. ¶ Neque illa duo exempla, quæ adducuntur, in probatione incluſa, oppoſitum ſuadent. *Non primum*: Quia etiam dantur plura mortalia oppoſita prudentiæ, tam intra propriam materiam, quàm intra materiam aliarum virtutum: peccata enim eis oppoſita, etiam opponuntur prudentiæ, vt ſuprà dictum eſt. Et ſi alia ſunt tantum venialia, hoc eſt ratione paritatis materia. *Nec ſecundum*, propter dicta num. 115. Adde: quòd non eſt adeo certum, quòd veracitas ſit virtus perfectior temperantiæ, propter rationem proximè datam.

119 Ultimò arguitur: Nam illa virtus eſt perfectior, quæ verſatur circa magis diſtincte-

nam de ratione virtutis est, quod sit circa difficile, & ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter; sed peccatum est levius circa difficile, iuxta dicta num. 115. ergo.

Respondetur, obiectum dupliciter posse dici difficile: vel intrinsece, difficultate desumpta ex intrinseca perfectione obiecti, quo pacto Deus, vt attingibilis per charitatem, est obiectum summe difficile & arduum, tam respectu charitatis, quam respectu vitij contrarij. Vel extrinsece, difficultate desumpta ex aliquo motivo extrinseco, quod removet appetitum à tali obiecto, & impellit ad oppositum. Et hoc pacto se habent pericula mortis respectu fortitudinis, quæ difficile vincuntur, & non nisi per conatum efficacissimum: ex se enim potius retrahunt appetitum, coguntque illum ad fugam obiecti fortitudinis, redduntque ipsam fugam minus voluntariam, & quodammodo coactam. Igitur virtutis perfectio non desumitur per ordinem ad difficile posteriori modo, sed priori. Et hoc pacto vitia opposita virtutibus, quæ dantur ad vincendam difficultatem prioris generis, sunt graviora ex genere, quam vitia, quæ opponuntur virtutibus non habentibus tantam difficultatem formalem, seu intrinsecam. Peccata verò opposita virtutibus habentibus maiorem difficultatem extrinsecam, minuantur accidentaliter ex defectu voluntarij: quamvis accidere possit, quod etiam habeant maiorem difficultatem intrinsecam, vt in obiecto fortitudinis contingit.

DISPUT. II.

De Peccatis in particulari.



N hac secunda disputatione ad difficiliores, & satis tenebrosas quaestiones, nebulisque densissimis referas accedimus. Pro quibus explanandis imploramus auxilium Dei ex alto, & specialem lucem duorum magnorum luminarium Ecclesiae Magni Parentis Augustini, & Div. Thomæ.

DUBIUM I.

An omisio, quæ tantum est voluntaria in causa, sit in se formaliter peccatum?

Inter divisiones peccati celebrior est apud Auctores divisio illius in peccatum omissionis, & commissionis. Hoc consistit in eo, quod immediate opponitur præcepto negativo, vt furtum, & fornicatio, quæ opponuntur directè his præceptis, Non furaberis: Non machaberis.

Illud consistit in eo, quod directè transgreditur præceptum affirmativum, vt omisio audiendi Sacrum. Et de hoc agemus in hoc dubio; & de altero in sequenti. Et licet circa peccatum omissionis possint plures, & perutiles quaestiones excitari, solum eligimus vnam, contentam in titulo proposito: quia ea, in qua solet inquiri: an peccatum omissionis requiratur aliquod actum: quæ est satis plausibilis, iam manet decisa tract. 9. disp. 1. dub. 4. Aliæ, quæ sunt minoris momenti, levi calamo tangemus, vel per modum suppositionis, vel per modum corollarij.

Difficultas tamen in titulo proposita procedit in hoc sensu: Quis advertens circa horam duodecimam instare præceptum audiendi Sacrum, & hoc prævidens, vel voluntariè nolens prævidere, somno se tradit: inquiritur, an non auditio Sacri sit peccatum præcisè in causa: an verò sit in se formaliter peccatum, etiam si omisio sequatur in ebrietate, vel somno, quo tempore vrgeret præceptum, vitari non possit? Ad quod parum refert, quod omisio sit interna, vel externa: quia quantum ad presentem difficultatem parum differunt, vt ex dicendis constabit.

In qua controversia tres referuntur sententia, duæ extremae, & altera media. ¶ Prima extrema asserit, solum imputari ad culpam, quando instat præceptum, & actus exterior omittitur. Pro ea citari solent Marfilus in 2. quaest. 27. conc. 4. Altisodor. lib. 2. tract. 29. cap. 2. quaest. 3. & D. Thom. 2. 2. quaest. 79. art. 3. ad 3. ¶ Secunda extrema docet, solum imputari ad culpam, quando ponitur causa voluntaria; non verò quando sequitur omisio exterior in somno. Ex quo inferit, omissionem sequentiam non esse peccatum, sed peccati effectum. Pro qua referuntur D. Bonav. Gabriel, Adrianus, Angelus: eamque expressè tenet ex recentioribus Societatis Vazquez in præf. disp. 94. cap. 3. Arriaga disp. 45. Amicus disp. 22. sect. 4. Oviedo contrav. 6. punct. 7. & alij passim. Ex discipulis Scoti, Matruius in 2. disp. 6. quaest. 5. & alij. ¶ Tertia media tenet, peccatum omissionis contrahi vtroque tempore, nempe quando ponitur causa omissionis, & quando omittitur actus in instanti, quo obligat præceptum. Ita communiter Thomista, Caiet. Soto, Medina, Alvarez, Montes, Martinez, Serra, Godoy, N. Salmant. in hoc tract. disp. 5. dub. 6. & alij innumeri. Ex Societate, Sanchez, tom. 3. de Matrim. lib. 9. disp. 45. num. 18. Lorca disp. 7. Valentia disp. 7. quaest. 1. punct. 4. Suarez disp. 3. sect. 4. num. 5. Salas, Becan. & alij.



§. I.

Suppositio quedam contra Auctores primæ opinionis.

1. Supponendum est, actum illum, qui est causa omissionis male vel directè, vel indirectè, quatenus est incompossibilis cum actu præcepto, esse in se peccatum. Ita communiter Theologi contra Auctores primæ sententia. Et quidem de actu, qui directè seu expressè tendit ad omittendum actum præceptum, est omnino certum apud omnes: nam actus ille habet obiectum malum, nempe omissionem prohibitam: ergo est peccatum per ordinem ad illam.

De alio actu indirectè causante omissionem peccaminosam, probatur: nam qui libere dat causam omissioni peccaminosæ, virtualiter saltem & interpretative vult ipsam omissionem: sed actus virtualiter & interpretative volens obiectum peccaminosum est malus: ergo actus indirectè influens in omissionem pravam est peccaminosus.

Confirmatur primò: Actus habens circumstantiam malam est malus; sed actus indirectè (verè tamen) influens in omissionem peccaminosam habet circumstantiam pravam, nempe circumstantiam ipsius omissionis: & propterea Div. Thom. quaest. 2. de Malo, art. 1. ad 7. secundi ordinis ait: *Hoc ipsum, quod est laudare Deum ore, potest male fieri, si hoc fiat, quando non debet, quando scilicet homo alia facere tenetur*: ergo. Hac eadem ratione docent communiter Theologi, quod ingressus viri in domum femina ob causam piam, si præbeat occasionem scandalæ, aut peccandi, est ex his circumstantijs peccatum: ergo actus influens indirectè in omissionem pravam est peccatum.

Confirmatur secundo: Qui se exponit periculo peccandi, eo ipso peccat, est peccatum aliud non sequatur: ergo potiori titulo peccat, qui verè, etsi indirectè, influat in omissionem. ¶ Confirmatur tertio: Qui legem transgreditur, peccat; sed qui libere influat in omissionem, adhuc indirectè, legem transgreditur: siquidem lex prohibens omissionem, prohibet ex consequenti omnem causam impediendam actum præceptum, & inferentem omissionem: ergo.

2. Ex his inferitur primò, quod actus, qui est causa omissionis peccaminosæ, tantum constituit vnum peccatum cum ea in genere moris, quamvis sit diversum in genere physico. Secunda pars constat: nam actus, qui est causa omissionis pravæ, est intrinsece peccatum, ob tendentiam positivam ad obiectum dissonum: ergo est malus positivè; sed malus positiva non est eadem physice cum malitia omissionis, quæ est privata: ergo sunt duo peccata in genere physico.

Prima verò pars suadet: nam actus inter se subordinati, & pravi per ordinem ad eundem finem pravum, nisi aliunde videntur, non constituunt diversa peccata moraliter, quamvis importent malitias physice distinctas, vt liquet in actu intentionis, electionis, & usus per ordinem ad eundem finem pravum; sed omisio interior, & actus, qui est causa illius, se habent huiusmodi: ergo non sunt duo peccata moraliter. Alias teneretur quis explicare in confessione actum, qui est causa omissionis; quod nullus dicit: cum sit contra praxim communem fidelium. Et hoc apparet evidens in actu expresso, & directo volendi ipsam omissionem.

3. Sed inquires: an prædictus actus dicatur peccatum *commissionis*; vel potius *omissionis*? ¶ Ad quod cum distinctione respondendum est: nam si sumatur prædictum peccatum initiative, est *missio*, propter rationem proximè datam. Si verò sumatur complete, terminative, & obiective, est peccatum *omissionis*: cum respiciat eam vt obiectum, & terminum, per ipsamque totum peccatum compleatur. Absolutè tamen, & nulla reduplicatione facta, dicendum est peccatum *omissionis*. Nam peccatum omissionis dicitur tale absolutè, quando directè tendit contra præceptum affirmativum: sicut peccatum commissionis dicitur tale absolutè, quando tendit directè contra præceptum negativum; sed actus, qui est causa omissionis pravæ, directè opponitur præcepto affirmativo, hoc est nulli alteri præcepto persè opponitur, nisi præcepto, cui opponitur omisio, & non nisi ratione ipsius omissionis: ergo absolutè est peccatum omissionis.

4. Inferitur secundo, non omne opus coexistens omissioni, & incompatible cum observantia præcepti affirmativi vitiarè ab illa. Ita communiter Theologi, contra Valentiam, Locam, Granados, & alios asserentes, omnia opera incompossibilia cum actu præcepto esse prava. Et contra Vazquez docentem, primum opus exterius incompossibile cum observantia præcepti esse pravum per ordinem ad omissionem, etsi supponat decretum firmum, & efficacax omittendi, scus verò alia opera subsequenter. In vno omnes conveniunt, quod si opus, adhuc incompossibile cum observantia præcepti, non influeret in omissionem, non vitaretur ab ea. Unde tota difficultas est, an opera incompossibilia cum actu præcepto, & exercita tempore quo instat præceptum, verè influant in eam, si supponant voluntatem efficacem omittendi? ¶ Nostra igitur resolutio est, quod nullum opus exterius incompatible cum observantia præcepti influat verè in omissionem, si supponat propositum firmam, & efficacax omittendi actum præceptum. Unde siquis est determinatus efficaciter ad non audiendum Sacrum, manere in domo, ludere, aut studere, non vitian-